Responsio Patrum Societatis Iesu ad Propositiones primo loco propositas

1.ª Propositio.

An sit necessaria intrinseca Dei ac physica p̄determinatio, ut liberum hominis arbitrium operationem liberam moraliter bonam eliciat.

R.r Non est necessaria Intrinseca Dei ac physica p̄determinatio ut liberum hominis arbitrium operationem liberam moraliter bonam eliciat, nec ullo grauis auctoritatis aut rationis fundamento nititur, sed libertatẽ potius humanae uoluntatis uidetur euertere.

2.ª Propositio.

An similiter cum liberum hominis arbitrium actionem moraliter malam efficit physice p̄determinetur à Deo ad eius realem, ac specificam entitatẽ.

R.r cum liberum hominis arbitrium actionem moralr malam efficit non p̄determinatur physice à Deo ad realem, ac specificam actionis entitatem, nec posita tali p̄determinatione facile uitari potest, quin Deus sit auctor peccatorum.

3.ª Propositio.

An gratia praeueniens à sufficienti distincta à se sola sit efficax eiusque efficacia posita sit in physica uoluntatis p̄determinatione, cui humana uoluntas in sensu composito dissentire nō possit. An uero in Interiori et congrua Dei uocatione p̄sertim ex S. Augustini sententia.

R.r

UGR Biblioteca Universitaria

Rx. Gratia preueniens à sufficienti distincta, et efficax licet in sua Entit. ac ui supernaturali à libertate uoluntatis nullo modo dependeat, tamen ea efficacia, quae infallibiliter connectitur cum consensu humanae uolunt. efficax non est ex se sola, nec sola libertate uoluntatis, sed per se p. ac potissimum ex se, minus uero praecipue ex respectu ad liberā uoluntat. qui Deus huiusmodi gratiam ita aptari, ac congruere pcognoscit, ut h. per eam pmoueatur sit infallibiliter praestitura consensum. Quare efficacia gratiae preuenientis posita est in Interiore et congrua Dei uocat. ex Sanctorū Patrum, et psertim S. Augustini sententia, nulla uero ratione in physica uoluntatis pdeterminatione, quae nullo auctoritatis fundamento, sacrarum litterararum, Conciliorū, S. Augustini, et alioꝝ Sanctorū Patrum, S. Thomae et āliquorū Scholasticorū innititur. Sed illis potius omnibus non obscure repugnat; et sanè hac de pdeterminat. sententia in re grauissima, ex qua magna pars Theologiae supernatural. pendet, nouam doctrinam hac pdeterminationis uoce introducit, nouū. grāe preuenientis modum in ea pdeterminatione positum Ecclesiae Cath.cae ante haec tempora inauditum humanae uoluntatis libertati, diuinorū auxilio. sufficientiae, atq sacrosancti Concilij Tridentini definitioni contrarium.

4.a Propositio.

An Gratia sufficiens sit auxilium Dei extrinsecum, an potius homini intrinsecum, et complete sufficiens ex parte actus p.i antecedentis sine alia physica pdeterminatione.

Rx. Gratia ad conuersionem sufficiens non est sola gratia externae pdicat. aut solum auxilium Dei extrinsecum, sed homini potius intrinsecum, et

complete

UGR Biblioteca Universitaria

complete sufficiens ex parte actus primi omnino antecedentis sine alia physica praedeterminatione.

5.a Propositio.

An Deus non solum cognoscat infallibiliter omnia contingentia, quae futura sunt, sed etiam, quae futura essent his, ~~aut~~ illisve positis conditionibus.

R.r Deus non solum cognoscit infallibiliter omnia contingentia, quae futura sunt, sed et quae futura essent à creata voluntate his, illisve positis conditionibus, quae aliquo modo ad liberam operationem spectent, sine qua veritatum conditionalium cognitione, nec perfectio divinae scientiae, nec sacrarum literarum quamplurima testimonia, quibus huiusmodi veritates à Deo revelatae sunt, nec Sanctorum Patrum de illis sacram Scripturam exponentium interpretationes commode possent explicari.

6.a Propositio.

An in potentia formaliter libera necessaria sit indifferentia, qua positis omnibus praerequisitis ex parte principij antecedentis possit in sensu composito non operari aut aliter operari.

R.r In potentia formaliter libera necessaria est indifferentia, qua positis omnibus praerequisitis ex parte principij antecedentis possit in sensu composito non operari, aut aliter operari, nec alia ratio libertatis à necessitate, aut ~~ex~~ in sacris litteris, aut in Concilijs, aut in Patribus, aut in Antiquioribus Scholasticis aut philosophis reperitur.

Haec tamen ac reliqua omnia, quae vel adhuc diximus, et scripsimus vel dicemus, et scribemus in posterum Sanctae Romanae et Catholicae Ecclesiae atque Sanctissimi D. N. Iudicio ut aequum est demisse subijcimus.

UGR Biblioteca Universitaria